


BEATI IOANNIS

APOSTOLI EPISTOLA TERTIA.

ANNOT.

- 1  Enior, Caio [charissimo] quem ego diligo in ueritate. [Charissime, de omnibus orationē facio prospere te ingredi & ualere,] sicut [prospere agit] anima tua.
- 2 Gaius sum ualde uenientibus fratribus, & testimonium perhibentibus ueritati tuæ, sicut tu in ueritate ambulas. [Maiorem horum non habeo gratiam,] quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare.
- 3 Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in [peregrinos,] qui testimoniū reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ, quos benefacies [deducēs] digne deo: pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à [gentilibus.] Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus [ueritatis.]
- 4 Scripsissem forsitan ecclesiæ: [sed is qui amat primatum gerere in eis [Diotrephes,] non recipit nos. Propter hoc si uenero, [cōmoneā] eius opera quæ facit, uerbis malignis garruens in nos. [Et quasi non ei ista sufficiant,] neque ipse suscipit fratres, & [eos qui suscipiunt] prohibet,
- 5 & de ecclesia eicit. Charissime noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex deo
- 6 est, qui male facit, non [uidet] deum. Demetrio [testimonium redditur] ab omnibus & ab ipsa ueritate: sed & nos testimoniū perhibemus, & nosti quoniam testimonium nostrum uerum
- 7 est. Multa habui tibi scribere: sed [nolui] per atramentū & calamum scribere tibi. Spero autē protinus te uidere, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta tu amicos nominatim.

τῷ ἀγαπῆτῳ. Ἐν ἑσθῆ.
Dilecte, pro oībus oro, te prospere agere, Ἐσθῆν εἶναι, ἀγαπῆτῳ περὶ πάντων εὐχομαι σε εὐδοῦσθαι ἢ ὑγιαίνειν εὐδοῦσθαι.

Maius his non habeo gaudium, μεζοτέρων τοῦτων οὐκ ἔχω χαρᾶν.

hospites, τοὺς ξένους.

si praeferis, προπέμψας,

gentibus, τῶν ἐθνῶν.

ueritati. Scripsi ecclesiæ, τῇ ἀληθείᾳ. ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ.

Diotrephes, id est, Iouenutritus, διοτρεφής.
admonebo, ὑπομνήσω.

Nec his contentus, καὶ μὴ ἄρκου μίλος, eos qui uolunt, τοὺς βουλομένους.

uidit, εἶδεν.
testimonium redditum est, μεμαρτύρηται.

οὐ θέλω.

COMMENT. IN III. EPIST. IOANNIS.



On similem epistolam proximæ præcedenti, nomine Senioris, scribit ad quendam Caium, & fidelem quidem & bene notum, ut cuius nomen sit indubitanter in libro uitæ adscriptum, etsi hominibus priscis qui nobis multorum aliorum memoriam reliquerunt, forte ignotum: testimonium enim apostoli grauissimū est. Quæ hoc pacto

1. » hoc pacto sancte salutat Ioannes: Senior, Caio charissimo, quem ego diligo in ueritate.] Fideles aliter quam in ueritate & fide diligere non solent. Mundus et caro, quæ fidem & spiritum nesciunt, hoc modo diligere nesciunt: neque ex se unquam possunt, nisi hoc modo amandi munus, sit illis infusum desuper: sed amant duntaxat amore mundano, aut carnis, qui procul sit à nobis, aut naturæ, qui spiritu fidei absorbet in uere perfectèque fidelibus, ut stellæ claritas à solis claritate in meridie: pro quibus orare & gratias agere debemus deo in orationibus nostris, exemplo euangelistæ Ioannis, id nos facere instituentis, cum subdit:

2. » Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi & ualere, sicut prospere agit anima tua.] Orare, optare, in uotis habere se hic dicit Ioannes, ut Caius prospere agat, ut prosperetur in bonis prouidentia diuinæ, quæ gentilitio more adhuc dicere solent bona fortunæ. Verum si christiane loquimur, & sapimus bona sunt diuinæ prouidentia, sicut scriptum est: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat. Quum autem deus ea auferit siue puniendo auaritiam, siue perbiam aut luxum ac inconuenientiam, siue purgando: siue probando, fugacia putant & temeritati tribuunt, quod diuinæ debent prouidentia, siue in iustitia puniat, siue in misericordia purget aut probet, & sentire cum Iob dicente: Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum. Ergo infidelitas, ea tribuit fortunæ, et est deo ingrata: fidelitas autem, deo, & est illi haud ingrata. Infideles illis uti nesciunt, neque ad quid & à quo habent: fideles autem & uti sciunt, & ad quid & à quo habent. Ideo istis optanda sunt prouidentia bona cum apostolo, illis autem minime. Caius autem testimonio Ioannis fidelis, ideo merito id illis orat, id illi optat: id enim *εὐχόμεαι* designat. Et non solum prosperitatem externorum bonorum illi optat ac precatur, sed integram corporis sanitatem, quod designat id *ὑγιαίνειν*, quod perinde est ac sanum esse. Et addit: Sicut prospere agit anima tua. Sanè anima eius quum CHRISTO fidelis esset, abundabat fide, spe, & charitate & charismatum donis: quod est animam eius spiritualiter prospere agere, diuitem esse in omnibus gratiis & doctrina euangelica, et sanam à morbo, imò à morte peccati, mortuam esse peccato & carni, sed uiuere iustitia & spiritui. Quod dixit prospere ingredi, & prospere agit: idem est uocabulum *εὐοδῶσαι καὶ εὐοδῆσαι*. Et gratia cuius hæc precabatur ac optabat: Certe pro omnibus & omnium gratia. Id enim christiani uoti est, omnibus bene uelle. Caritas christiani, id est uere fidelis, diffusa est, uniuersalis, & ad omnes extensa. Sic ad omnes fideles & inter nos, & qui illac transibant, Caius prouidentia externa bona, ut par erat dispensabat, & quando erat sano corpore, doctrina fidei, euangelio. CHRISTI solo uerae uitæ pabulo ut uerisimile est, ipsos pascebat. Proinde subiungit Ioannes:

3. » Gaudis sum ualde uenientibus fratribus, & testimonium perhibentibus ueritati tuæ: sicut tu in ueritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in ueritate ambulare.] Vnde fidei aggignitur gaudium, et magnum quidem gaudium: nisi quando audit de his qui absunt, quod in ueritate ambulat, quod est fide ambulare in puritate doctrina euangelicæ, omnia per charitatem euangelicam, quæ est caritas CHRISTI per spiritum fidei diffusa in cordibus fidelium: Et etiam id addit ad gaudium: si qui absunt, filii doctrina sunt eorum, quibus ex sancta relatione ab aduenticiis adfertur lætum nuncium. De Caio autem, fideles uenientes talem relationem, talèque Ioanni adferebant testimonium, qui & discipulus Ioannis fuerat, quod & ad gaudij argumentum faciebat. Discipulum autem fuisse per id intelligitur: Maiorem horum non habeo gratiam, siue ut Græcus habet, *μαρτότερον τούτων οὐκ ἔχω χάριν*, maius his non habeo gaudium, quam ut audiam filios meos in ueritate ambulare. Merito igitur Ioannes

gaudebat, & ualde etiam gaudebat. Faxit CHRISTVS qui idem deus est, harum epistolarum lectores sic ueritatem amplexentur euangelicam, sic fidei spiritū de super infusum hauriant, sic in ueritate ambulent, ut ubiq; pure annunciet CHRISTVS & uerbum eius, & sit omnium una & uniuersalis in toto orbe lætitia: desinat caro, regnet spiritus: fides agnoscat, & infidelitatis tenebræ (id faciente omnipotente misericordia CHRISTI) uanescent, solus deus & uerbum eius exaltet. At apostolus nunc apertius aperit quo pacto Caius in ueritate ambularet, dicens:

- 4 „ Charissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,
 „ qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ, quos, benefa-
 „ cius, deducens digne deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à
 „ gentilibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, ut cooperatores simus ueri-
 tatis.] Probat Caium cui prius externorum honorū imprecatus erat abundan-
 tiam cum plenitudine sanitatis, quod aduenis fidelibus illa dispartibat & prom-
 pta alacritate famulabatur, ad quod maxime largitur deus, prouidentia suæ dona
 Ephes. 6. & sanitatis plenitudinem. Sed quibus peregrinis? Certe qui erant succincti lum-
 bos in ueritate, & induiti lorica iustitiæ, & calciati pedes in præparatione euangeli-
 j pacis, quos non diu detinens, ut decebat sanctos dei, præmittebat ad loca an-
 tequam ab alijs pseudodidascalis aut præuenti aut seducti essent: quia nunquam
 inchoatum est annunciari euangelium, aut inchoabitur aliquando oblitteratum:
 quin semper malignus per falsæ doctrinæ seminatores, totis uiribus obluetur:
 sed uinct & uincet euangelica lux tenebras omnes fallacis doctrinæ. Et ipsi non
 uagandi gratia, non curiositate aliqua, sed ad hoc ipsum profecti erant, ut euange-
 lium pacis gratis ponerent, nihil accipientes à gentibus quibus euangelizabāt ui-
 tam, quæ in sola fide CHRISTI sita est: sed accipiebant ab illis necessaria quos cœ-
 lestis patris prouidentia, larga manu dispensanda bona porrigens ordinauerat, ut
 3. Reg. 17. Helia mulierem Sareptanam, ut alijs gratis, id est, gentibus, cœlestis alimonie
 panes dispartirent. O nunc quàm felices sunt homines, quū deus se manifestat in-
 nouare uelle suum euangeliū, peregrinas & abductitias à deo doctrinas tollere:
 Ephes. 6. qui accinctos ueritate, armatos fide qua sola debellatur serpens antiquus, & cal-
 ciatos pedes in præparatione euangeli j pacis suscipiūt, dispensant necessaria, præ-
 mittunt ut omni diligentia gratis ponant euangelium ijs quibus annunciabunt.
 Matth. 25. Audient profecto à deo hanc exultandam uocem: Euge serue bone & fidelis,
 quia super pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituam: intra in gaudium domini
 tui, intra de uita transitoria in uitam æternam, de misera in felicissimā. Pro ijs qui
 tales sunt & erunt, orare debent omnes fideles, ut prosperetur, detq; illis deus hoc
 pacto digne dispensandorum bonorum abundantia, & longam ad pios usus cor-
 poris sanitatem, quemadmodum & mente sani sunt. Certe hi digni sunt pro qui-
 bus fideles precantur, & illi qui in omnium bonorum communicatione suscipian-
 tur: ut qui facultates habent & gratias pro uirili cooperentur euangelio, fide & cha-
 ritate, & spiritu fidei præcipue operantibus. Sed quur priuatam & non καθολικην
 publicam, ad ecclesiam non scripserit epistolam, causam reddit Ioannes, dicens:
 5 „ Scripsissem forsitan ecclesiæ: sed is qui amat primatū gerere in eis, Diotrophes
 „ non recipit nos. Propter hoc si uenero commonebo eius opera quæ facit, uerbis
 „ malignis gariens in nos.] Causa fuit quo minus καθολικην, sed ιδιωτικην peculia-
 „ rem fecerit epistolam, quia Diotrophes qui cupidus dominandi primatū gerebat
 „ in ecclesia, non recipiebat doctrinam Ioannis. Hic Diotrophes inflatus cōtra sen-
 „ sum apostolicum, qui prohibet primos in ecclesia dominari in hæredes regni cœ-
 „ lestis, dicente Petro ad ipsos: Pascite qui in uobis est gregem, nō coacte, sed spon-
 1. Ptt. 5. taneæ secundū deum, neq; turpis lucris gratia, sed uoluntarie, neq; ut dominantes
 in cle-

in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Quid mirum si Diotrephes nihil horum faciens, ambitiosus & superbus; neque Ioannem neque doctrinam eius recipiebat: infidelis enim erat. Quomodo ergo admisisset fidei lucem, & magnæ quidem fidei & plena charitate feruentis epistolam, qualis erat ea quæ Ioannis, nisi prius infidelitate discussa? Tam certe impossibile, quàm manentibus tenebris lucem admittere. Et si non recipiebat Ioannem, quo pacto ecclesiæ, id est conuocato populo quem ut primus & principatum gerens congregabat quæ uolebat, manifestam uoluisset epistolam: frustra ergo ad illos publicam scripsisset Ioannes. Verum & Græce habetur, ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ, scripsi ecclesiæ, uerum Diotrephes non admisit epistolam, quod designat Diotrephes non recipit nos. Sed in hoc se declarat apostolum fuisse, & si priuatam scripserit, quod apostolorum maxime erat catholicas scribere, quod fecisset, nisi Diotrephes mala obstitisset uoluntas, & in hoc quod minatur se correpturum Diotrephen & commoniturum, ad memoriam reducturum opera maligna, quæ ipse faciebat, detrahens & apostolo & euangelio dei. Quod per potentiam spiritus illi facillimum erat, dicente apostolo: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium CHRISTI, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Hoc certe erat apostolorum munus. Quare iuste poterat Ioannes dicere se commoniturum Caium operum eius, & uana in ipsum & in doctrinam ueritatis deblaterationis. In quo admonet primos & præcipuos autoritate & potestate in ecclesia sic facturos, quoties sunt ambitiosi, inflati, blaterones in euangelicos uiros & doctrinam ueritatis, uolentes primatum gerere & dominari in cleris. Quod si præcipui hac labe tanguntur, quid nisi à summa illa dei potentia redargutionem expectent? CHRISTVS IESVS qui solus cum æterno patre & spiritu suo est omnia potens, ponat spiritum in summis ecclesiæ & euangelicam potentiam ad prompte ulciscendam omnem inobedientiam & omnem altitudinem sese extollentem aduersus scientiam dei. Sed de nequitia & malignitate Diotrephis amplius prosequitur Ioannes, dicens:

2. Corinth. 10

6 » Et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiunt prohibet, & de ecclesia eicit.] Utinam nostra tempestate nulli essent Diotrephes, Ioue id est principe tenebrarum nutriti. Sed quid faciebat Diotrephes? Ambibat, inflabatur, contemnebat sorte diuina minoris Asiæ apostolum, deblaterabat in euangelium. Sed neque his contentus, fratres, id est fideles & CHRISTI euangelijque annunciatores, non recipiebat, sed reiciebat, nihil illis adminiculo porrigens: sed si qui eos recipere aut hospitio aut adminiculo uolebant, prohibebat atque impediebat: quod si qui recipiebant & norat, eiciebat ab ecclesia, id est excommunicabat, eo modo quo tunc à cõmunitate extorres fiebant qui in euangelio ἀποστύγῳ dicuntur, ostendens in se ne scintillam quidem fuisse charitatis. At quomodo ulla fuisset: ut qui fidem & deum qui charitas est, abiecerat? At Caius nihil hæc timens, uir potens, & fide & terrena potentia recipiebat: & ad necessitatem corporis, & ad uerbum dei necessaria ut fidelis bonorum dei œconomus ac dispensator, ministrabat. Proinde hortatur ipsum Ioannes, ut perseueret in imitatione dei qui bonorum omnium est largitor, dicens:

7 » Charissime noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex deo est: qui male facit, non uidet deum.] Qui imitatur malum in capite, imitatur diabolum: qui imitatur in membris, imitatur malos & infideles homines. Sic qui imitatur quod bonum est in capite, imitatur deum: & qui imitatur in membris, imitatur pios & fideles homines. Et ut imitari malum in capite pessimum est: ita imitari bo-

- num in capite optimum. De illa imitatione in malo, dicebat dominus apud Ioan-
 nem pharisæis: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere.
 Ioan. 8. Et de imitatione in bono, dicit Paulus ad Ephesios; Estote imitatores dei sicut fi-
 Ephes. 5. lij charissimi. Secundum locum in malitia aut bonitate, obtinet imitatio in mem-
 bris: sic homicidæ imitantur Cain, sic mercede conducti peccantes, Balaam. Sic
 solliciti fratrum, siue in subuentione necessariorum, siue in administratione uerbi
 dei, imitatores Pauli. Quemadmodum ipse ait ad Corinthios: Rogo ergo uos, imi-
 1. Corinth. 4. tates mei estote, sicut & ego CHRISTI. Et alio loco ad eosdē; Præter illa quæ
 2. Corinth. 11. extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Ergo
 perfecte imitantium est caput intueri: incipientium uero & promouentium, ad mem-
 bra se effingere, donec possint ad caput ipsum oculos attollere, & obtutus ipsos
 iugiter in ipsa ueritate defigere, quemadmodum seruator noster peregrinus in hac
 mortalitatis ualle pro nobis de se dicebat: Prouidebam dominum in conspectu
 Psal. 15. meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear. Et certe tota fidelium uita
 non est nisi imitatio, & ueritas eos saluat. Et ex imitatione cognoscitur cuius par-
 tis sumus, an dei, an maligni. Nam qui facit bonum, ex deo est, quippe qui est (ut
 sic dicam) omnibeneficus: qui uero facit malum, fide non nouit deum: quare si in
 ea manserit ignoratia, deum nunquam uidebit. Sine fide enim impossibile est unquam
 Hebr. 11. uidere deum, quandoquidem sine fide impossibile placere deo. Et semper exem-
 plo apostolorum nos inuicem hortari debemus, ne fides, ne spiritus fidei, & feruor
 charitatis lentescat, aut remittatur in nobis, aut quod pessimum esset extingua-
 tur. Est enim charitas ignis, qui hoc flabello eget: quo tam conseruatur in eo qui
 exhortatur, quam in eo qui exhortationem suscipit, aut excitatur. Adiuuatur
 etiam fides, & excitatur laude & gratiarum actione ad deum ex fidelium audita
 commendatione. Quod ostendit Ioannes, in commendatione cuiusdam in fide pro-
 bati, nomine Demetrii, dicens:
 8. » Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa ueritate: sed & nos te-
 » stimonium perhibemus, & nosti quoniam testimonium nostrum uerum est.] Quid
 est, Demetrio testimonium redditur ab omnibus, nisi omnes admirantur, probant
 & laudant fidem Demetrii, & uitam pure spirituales & euangelicam? Quid est:
 & ab ipsa ueritate, nisi ab ea quæ CHRISTVS est, & à spiritu eius? Et ipse etiam
 1. Cor. 2. Ioannes qui conscius erat arcanorum dei per spiritum eius. (Nos autem, inquit apo-
 stolus, sensum CHRISTI habemus) testimonium dat integritati uitæ & fidei De-
 metrii. Et quum Caius eodem spiritu ageretur, ad ipsum dicere poterat Ioannes:
 Et nosti quoniam testimonium nostrum uerum est. Quomodo enim uerum non
 esset, quod per spiritum sanctum testificabatur? Et simili ferme loquendi modo de
 se loquens dicebat in euangelio: Et qui uidit, testimonium perhibuit, & scimus
 Ioan. 19. quia uerum est testimonium eius, ut ex phrasi loquendi hæc etiam epistola Ioanni
 apostolo & euangelistæ tribuenda haudquaquam ueniat addubitanda: quam qua-
 ratione contraxerit quum multo plura scribenda essent, causam subdit ut in præce-
 dente quam ad fidelem et euangelicæ ueritatis sectatricem dominam scripsit, dicens:
 9. » Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum & calamum scribere tibi.
 » Spero autem protinus te uidere, & os ad os loquemur.] Causa fuit, quod spera-
 bat, quod fidebat in domino, in quo qui sperat non confunditur, non excidit à spe,
 non frustratur, se breui uisurum Caium, & ex præsentia oraculo uocis depromere
 omnia quæ scripturus erat, & atramento & calamo chartæ commissurus, si non
 tam breui profecturus esset. Quare quum uox ipsa fortius afficiat & commodius in-
 stituat: noluit id chartis tunc committere: hoc siquidem quodammodo superua-
 caneum fuisset. Deinde epistolam in finali salutatione, pro epistolari consuetudine
 finit,

10. finit, dicēs: Pax tibi. Saluant te amici. Saluta tu amicos nominatim.] Hic salu-
 rationis tropus, Pax tibi, Hebræis peculiaris est: ut ex multis hæc epistola cogno-
 scatur Ioannis apostoli fuisse, qui Hebræus fuit, & in multis hic Hebræorum lo-
 quendi formas obseruat, maxime in temporibus, ritu Hebræorum ipsis utendo,
 non more Græcorum aut nostro, quod & in euangelio & in tribus epistolis suis
 facit, ut planè intelligantur hæc etiam duæ posteriores epistolæ non fuisse à natiuo
 Græco aut Asiatico scriptæ. Et quam optat illi pacē: hæc est pax CHRISTI, quæ
 est securitas remissionis peccatorum in sanguine ipsius, & hæreditatis uitæ æter-
 næ in eodem CHRISTO domino. Et amici, id est, fideles qui erant cum Ioanne,
 qui & amabāt uera amicitia in spiritu sancto, eadem salute salutabant Caium. Et
 petunt eos fideles qui apud Caium erant, ex parte ipsorum etiam ex nomine eadē
 salute impartiri. Quam salutem & pacem nobis annuat misericordiarum pater,
 & æternæ pacis largitor. Cui per filiū & cum filio domino nostro IESV CHRI-
 STO, qui salus & pax nostra est, & spiritu sancto: honor, gloria, & gratiarum
 actio in omnia seculorum secula. Amen.

COMMENTARIJ IN TERTIAM
 Ioannis epistolam, finis.

BEATI IVDÆ

APOSTOLI EPISTOLA CANONICA:

1 **I**udas IESV CHRISTI seruus,
 2 frater autē Iacobi. His qui sunt
 in deo patre [dilectis,] & CHRI-
 STO IESV conseruatis &
 3 uocatis, misericordia uobis, &
 pax, & charitas [adimpleatur.] [Charissimi,]
 omnem [solicitudinem] faciens scribendi uobis
 de communi uestra salute, necesse habui scribere
 4 uobis: [deprecans supercertare] semel traditæ
 sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam ho-
 mines (qui olim præscripti sunt in hoc iudicium)
 impij, domini nostri gratiam transferentes in [lu-
 xuriam, & solum dominatorem,] & dominum
 nostrum IESVM CHRISTVM negantes.
 5 Commonere autem uos uolo, [scientes semel
 omnia, quoniam IESVS] populum de terra Ae-
 gypti [saluans,] secundo eos qui non crediderunt
 6 perdidit. Angelos uero qui non seruauerunt
 suum [principatum,] sed dereliquerunt suum do-
 micilium, in iudicium [magni dei,] uinculis æter-
 7 nis sub caligine reseruauit. Sicut Sodomā &



A N N O T.
 sanctificatis, ἡγιασμένοις.

multiplicetur, πληθυνθείη.
 ἀγαπητοί, ὡς infra.
 diligentiam, σπουδήν.

obsecrans ut certetis, adlabo-
 retis, πρὸ ἀκαλῶν ἐπαγωνί-
 ζεσθε.

lasciuiam ὡς solum patrem fa-
 milias deum, ἀσέλγεια καὶ
 τὸν μόνον δεσπότην θεόν.

quæ sciatis semel hoc, quoniam
 dominus, εἰδότες ὑμεῖς ἅπα-
 ῖς τὸ, ὅτι ὁ κύριος.
 quum seruasset, σώσατε.

principiū, originē, πρὸ ἀρχῆν.
 magnæ diei, μεγάλῃς ἡμέραις.

T